

ex petra: & vnde exploratores misit A
Moses, Numer. 20. iuxta urbem Petram
Arabiae Petrae metropolim. *Bered* ali-
bi non memoratur. Apparet fuisse duas
ciuitates in aditu deserti Sur, quod vsq;
ad mare rubrum Ægyptum versus ex-
tendebatur.

15. PEPERIT AVTEM HAGAR.
Redierat ergo Angeli monitu domum,
ac humilians se sub manu dominæ suæ
recepta erat in gratiam. Iuxta oraculum
Angeli filium peperit Abramo: qui no-
men eius vocauit Ismael. Sic enim ius-
ferat Angelus: Abram ergo ex Hagar B
rem in deserto gestam & oraculum dili-
genter cognouerat. Ismael filius Abra-
mi vocatur, sed secundum carnẽ, quam-
diu filium promissionis alium non ha-
beret. Postea cum matre ancilla eiectus
nomẽ filii Abrami amisit, Exod. 21. v. 10.

16. OCTOGINTA SEX ANNO-
RVM. Circumstantia hæc temporis
non solum ad maiorem historiæ certi-
tudinem, & ad Chronologiam perti-
net: sed etiam ostendit, quanto tem-
pore Deus suspensum tenuerit Abra-
mum, eiusque fidem exercuerit, ante-
quam Isaacum daret. Nam demum cen-
tesimo anno ætatis suæ Isaacum suscepit
Abram. Ergo post natum Ismaelem an-
nos 14. dilata fuit promissionis imple-
tio: quoniam non solum ex emortuis
parentibus nasci debuit filius promif-
sionis, sed etiam præcipitanti patriar-
chæ & coniugis diuturnius exercitium
merita fuerat. Porro natiuitas Ismaelis,
& 86. annus Abrami, iuxta cal-
culum sacrum, incidit in
annum mundi

2094.

CAPITIS DECIMISEPTIMI

Argumentum, Vfus, Partitio.

HOc caput argumenti dignitate inter reliqua huius libri etiam eminet: quoniam in eo omnes
Dei promissiones Abramo hæcenus date, & fœdus cum eo initum renouantur, illustrantur, &
ordinario sacramento confirmantur. Hic etiam mutantur nomina Abrami & Sarai: & addun-
tur noua promissiones de Isaac ex Sara nascituro: & de Ismaelis temporalis gloria. In fine attexi-
tur narratio de circumcissione Abrami & familia iuxta Dei mandatum. In hoc igitur capite doctri-
na de fœdere gratia cum Ecclesia, & de origine atque vsu sacramentorum fundatur.

Partes etsi duæ potissimum videntur esse: Instauratio fœderis Dei, & obedientia Abrami: ta-
men distinguemus in quatuor.

1. Est descriptio fœderis inter Deum & Ecclesiam, vsque ad vers. 10.
2. Institutio & sanctio circumcissionis, vsque ad vers. 15.
3. Promissio de nascituro Isaac, & fœderis restrictio ad eius posteros, vers. 19 ad 23.
4. Circumcisio Abrami & Ismaelis cum tota familia mascula.

PRIMA PARS CAPITIS.

Descriptio Fœderis.

- 1 Cum vero Abram natus esset annos nonaginta nouem, apparuit Iehoua Abramo, dixitq; ad
eum: Ego sum Deus omnipotens: Ambula coram me, & esto integer.
- 2 Et statuam fœdus meum inter me & inter te, & multiplicabo te valde admodum.
- 3 Tum procidit Abram super faciem suam: locutus vero est ei Deus, dicendo:
- 4 Ego sum: Ecce fœdus meum tecum: & eris in patrem multitudinis gentium.

CCCC 3

Neque